

SIMON SPIRENSIS CARMELITA.



**S**imon Spire ad Rhenum natus & educatus, ordinem fratrum beatæ Mariæ semper uirginis de monte Carmeli ingressus est. Postea ut maiorem literarum cognitionem acquireret Parisios se contulit, atq; diligentem operam Philosophiæ & sacris literis dedit. Vnde magnam eruditionem breui tempore nactus, in Philosophia Aristotelica omnes alios facilè superauit. erat enim ingenio subtili præditus. Inde scholasticam doctrinam more eius seculi Theologiæ coniunxit. In patriam reuersus multo tempore in Coloniensi Gymnasio Theologiam magna gloria publicè in scholis & templis docuit, atque insignem laudem sibi passim comparauit. Scripsit etiam uolumen super sententias, & librum peculiarem contra Iudæos, unâ cum Postilla & alijs. Tandem circa annum Domini millesimum trecentessimum quinquagesimum mortuus est. Trit.

psit etiam uolumen super sententias, & librum peculiarem contra Iudæos, unâ cum Postilla & alijs. Tandem circa annum Domini millesimum trecentessimum quinquagesimum mortuus est. Trit.